



*Hermannus*

*Catalogus dispersit.*

*I. S. Semler.*

1. Obss. Super 2 Timoth. III. et II.
2. Testimonio IV. Concilii Trident. exemplum.
3. De regeneratione monastica.
4. de profanatione thes. aromaticae pro sui dicta biblica.
5. de infelicitate hominum profundi.
6. de Christi ad Albaganum epistola.
7. de imagine divina in humana spe natura.
8. de mysticarum interpretationum studio.
9. Antiquitatem hermeneutiarum et scripturarum.
10. de tempore quo scripta fuerint epistola Pauli ad Galatas.
11. Anticipatos faciunt, de quibus agitur et al. 218. 2
12. de propaganda per Romiticum inter Germanos ref. Christi.
13. de discrimine nationum vulgarium et christianorum in libris N.T. observando.
14. In Matth. 1:17.
15. de cauenda molestia sedalitate sacra.
16. In Luk. I. Gabrielum spir. s. non 47c.
17. Iesum Christum esse auctore orationis Deum et omnem hominem. disf. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex euangelio Hebreorum.
19. Se vario et impari octoem flario in recolenda historia defensat ad inferos.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de Res nobis et euangelio Hebreorum.
22. de discriminatione inter baptizantes et trinitatistas.

*II. A. Neßelt.*

23. Singularis prouidentiae divina in pace religione vestigia.
24. de discernentia propria et tropica dictione.
25. de latentibus patrum grecorum in nouant.
26. in 1. Cor. II. 20 et 27.
27. judicior. tardioris anglica Luc. II. 14.
28. de Christo nomine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi conformare sequis maioribus legislatione Christiana.
30. ad Heb. II. 6.
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Num. XXVIII. 17.
33. in Joh. 18. II. 20-23.
34. de vera re nominis filiorum dei.
35. In 2 Thessal. II. 1-12.
36. In Joh. XV. 1-17.
37. In Joh. XII. 13 — XVII. 23.
38. Quod in his diebus uad. N. 31. — Tunc
39. Quod in 2 Cor. III. 6.

N. 129.

3.

ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

PRORECTOR

IOANNES AVGUSTVS NOESSELT

SACRARVM LITERARVM DOCTOR

EARVMQVE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIUS

C V M

D I R E C T O R E

E T

S E N A T V A C A D E M I C O

PENTECOSTES DIES SACROS

PIE CELEBRANDOS

I N D I C I T.

---

*Addita est interpretatio loci obscurioris in posteriori ad Corinthios  
Epistola, Cap. III, 17.*

---

HALAE

EX OFFICINA HENDELIANA

M D C C L X X I V .



**Q**uae sit libertatis Christianorum indoles & conditio, non inutiliter quidem in scholis Theologorum disputatur: sed minus impediat hanc quaestione non nisi paucis attingemus. Altioris indaginis est altera quaestio, scilicet, quis sit Spiritus ille, quo non potest carere, vt Apostolus Paulus in posteriori ad Corinthios epistola, c. III, 17. testatur, quisquis libertate illa frui velit. In hoc argumendo illustrando iam versabimur.

Haec vt ordine procedat disputatio, de nexus Cominatis decimi septimi cum superioribus dicendum erit breuiter, priusquam in sensum, quem loco nostro vindicandum esse putamus, inquiratur. Ex vniuerso huius Capitis argumento intelligimus, illud in hoc praecepue versari, vt Apostolus ad iniquas aduersariorum suorum criminationes respondeat, & muneric quo doctores Euangelii funguntur, praestantiam defendat. Ne autem sibi nimium tribuere, aut ambitiosius de se statuere videretur, ita orationem Commate 1-6. informat, vt omnibus appareat, illam ad totum Apostolorum coetum pertinere. Deo enim omnem *ιαντίτη διακόνων κανόνις διαθήκην* vnicē tribuendam esse ingenue fatetur Commate sexto, deinde Commate 7-11. probat, prouinciam quam doctores Euangelii administrant, longe praestantiorēm esse illa quam olim interpretes legis ceremonialis gesserant. His expositis progressitur Commate 12. & 13. ad defendendam methodum suam & παρέγνωσιν. Sine ambigibus enim & inuolucris Christum eiusque doctrinam tum ore tum scriptis proposuerat, vt, si fieri posset, omnibus, immo etiam Iudeis, qui erant nimis seduli in imitandis prauis maiorum suorum exemplis, saluberrimum illud confilium de admittenda doctrina Euangelii persuaderet. Apud Iudeos autem ad eum usque diem

pa-

parum valuisse auctoritatem Euangelii queritur quidem Commate 14 & 15.  
ita tamen, ut culpam omnem merito ad perrinaciam huius gentis trans-  
ferat. Auita enim, quae Iudeorum animo insidebat coecitas, impe-  
diebat, quo minus corda eorum luce Euangelii collustrari possent.  
Haud obscure itaque Apostolus Commate 16. innuit, de reparanda Iu-  
daeorum salute non esse bene sperandum, donec velamen quod oculis  
eorum impositum esse videbatur, remoueri paterentur, & salutarem  
Euangelii doctrinam, quae sola possit vires ad bene beataque viuen-  
dum largiri, amplectenterentur.

Haec lucem affundent Commati decimo septimo, in quo ita pro-  
greditur oratio Apostoli: 'Ο δὲ Κύριος τὸ πνεῦμα ἐστιν ἡ δὲ τὸ πνεῦμα  
Κυρίου, ἐκεῖ ἀνεῳγεται. Non vnam esse antiquorum & recentiorum in-  
terprenum de sensu huius loci sententiam, non ignoramus. Parum au-  
tem adiuuarent Lectorum studia, si recensendis multis multorum ex-  
plicationibus immorari vellemus. Liceat itaque ob angustos, quibus  
circumscribimur, limites, nostram de hoc loco sententiam breuissime  
exponere, eamque tum illustrare, tum argumentis quae possint idonea  
videri, superstruere.

Sensum loci nostri ex Commate sexto imprimit deriuandum esse  
putamus. Nam ad illud tandem redit oratio Apostoli, quae ad praedi-  
candam muneric euangelici praefstantiam, Iudeorumque coecitatem  
arguendam digressa erat. De his cum exposuisset Apostolus, noluit  
committere, ut Lectores diutius in ambigua significatione vocis πνε-  
υμα, qua Commate sexto usus erat, haererent. Declarat itaque, quale  
sit illud πνεῦμα ρωσοπολιτικόν, quod in versiculo iam dicto opposuerat γένιο-  
ματι ἀποκτεινοντι. Dominus, inquit, εστι Spiritus ille. Vbi vero hic  
Spiritus Domini εστι, ibi εστι libertas. Hunc quidem sensum dant ver-  
ba Commatis nostri, si inhaereamus literae. Sed quis ille est Dominus?  
quem Spiritum innuit Apostolus? Quis denique hoc in loco est  
Spiritus Domini? De his omnibus nunc pluribus dicendum erit, si  
antea sensum illum quem his verbis inesse putamus, pleniori complexi-  
simus interpretatione, quae haec est: Domini autem doctrina εστι Spi-  
ritus ille, quem nouimus habere vim ρωσοπολιτικήν. Vbi vero hic εστι  
Spiritus Domini, h. e. vbi salutaris doctrina Euangelii admittitur, &

ad mores nostros regendos informandosque rite transfertur, *ibi est libertas*, vt pote quae omnis pendet ex doctrina Euangeli.

Ad priorem huius loci partem quod attiner, quae verbis illis, 'O δὲ Κύριος τὸ πνεῦμα ἐστιν, absolvitur, res omnis recidit ad explicacionem nominum Κύριος & πνεῦμα, in quibus plerosque videmus haerere interpres, et si non adeo reconditus sit verborum illorum sensus, si auxiliis quae ipse Textus suppeditat, rite vtatur. Qui in illustrando hoc loco versati sunt, plurimi, Κύριον dicunt esse Dominum nostrum Iesum Christum: πνεῦμα autem vel ad spiritualem summi Numinis naturam, vel ad Spiritum S. eiusque vel personam vel operationem referunt. Hos si audiamus, hic sere erit sensus: „Si ad Dominum Iesum Christum redierint Iudei, tunc demum tenebris suis feliciter, se expedient: est enim Dominus ille Spiritus, h. e. vi divina praeditus; „vel, vt alii volunt: „dabit illis Dominus Spiritum S. qui lumine suo dispellet tenebras & in libertatem illos restituet.“ Rem si spectemus, haud male quidem illa dicuntur: sed parum apposite ad locum nostrum & ad vniuersam eius dispositionem. Aliam enim in isto loco vim habet vox Κύριος, aliam quoque vox πνεῦμα. Videamus primo, quis sit ille Κύριος, deinde, quale sit πνεῦμa illud. Κύριος enim secundum nostram interpretandi rationem constituit subiectum, i) quod alii ponunt in verbis τὸ πνεῦμα.

Haud obscure ex Commate 16. intelligi potest, quis sit Κύριος ille quem Apostolus in loco nostro commemorat. Dixerat enim, fore vt velamen a Iudeorum facie remoueatur, si aliquando conquerenter se ad Dominum, hoc est, si doctrinam Iesu Christi admirere, eamque verbis & factis exprimere haud neglexerint. Vtque magis commendaret

i) Haud ignoramus, ab IKENIO, (in Dissertatione ad Comma 18. huius Capitis) aliquippe difficultatem esse motam, quasi Articulus τὸ nomini πνεῦμα, si hoc esset praedicatum, non potuisse praemitti, & ex genio linguae graecae dicendum fuisset, ὁ δὲ Κύριος πνεῦμα. At vero qui hoc obiciunt, sane non cogitant, τυπum stilum N. T. non exactissime ad genium linguae graecas esse compositum, τυπum inquieti posse hanc argumentandi rationem. Perinde enim est, siue Κύριος siue πνεῦμa subiectum esse dixeris. In utroque casu redundaret Articulus. Si quis itaque cum IKENIO obliciat, secundum nostram interpretationem dici debuisse, ὁ δὲ Κύριος πνεῦμa, respondemus, secundum alteram sententiam dici debuisse, τὸ δὲ πνεῦμa Κύριος, non τὸ δὲ πνεῦμa ὁ Κύριος.

darer illis hoc saluberrimum consilium, ampliorem doctrinae Christi descriptionem subiungit, eamque talem esse dicit quae vitam libertatemque omnibus praestare possit. Continuatur itaque ab initio Commati 17. Metonymia illa qua Apostolus iam Commate 16. vti coepit, quamque nostra sequitur interpretatio. Sed erunt fortassis qui obiciant, non opus esse hoc in loco Metonymia, & Apostolam de persona Iesu Christi, non de doctrina eius loqui. Huic difficultati ut occurramus, non ad alia huius generis exempla, quorum tamen magna est in libris N. T. copia, prouocamus, sed vno tantum vtrum argumento, quod plurimum in hac causa valere arbitramur, quia ex eodem hoc loco petitur. Scilicet qui haec obiciunt, parum attendissi videntur ad relationem quae est inter duo illa nomina Κύριος & Μωάρης. Quis dubitat, posteriorem Commate 15. sumi de libris Mosis, immo vniuersi, vt ex Commate 14. intelligitur, Veteris Testamenti? Supra autem iam vidimus, consilium Apostoli hoc esse, vt Iudeis auctor suasorque existeret, antiquiore illam cultus diuini formulam quam Moses delineauerat, Apostoli autem per Christum abrogaram esse siueius declarauerant, relinquere, & meliori illi quam Euangelio contineri nouimus, subscribere. Hoc est in isto loco ἐπιστέψειν τρέχεις Κύριον. Si enim Apostolum, vt par est, in interpretando sequimur, convertere se ad Domum hoc loco nihil aliud est, quam nuntium mittere mosaicae disciplinae, & iugum legis ceremonialis excutere, salutarem vero Euangelii doctrinam amplecti. Quae cum ira sint, non dubitamus hoc loco nomen Κύριος de doctrina Iesu Christi interpretari.

Plurimam difficultatem habent verba quae proximum tenent locum, ἐστιν πνεῦμα: in quibus interpretandis non omnes feliciter versatos esse nouimus. A vero sensu longissime aberrare videntur, qui πνεῦμα hoc in loco ad spiritualem Entis supremi naturam referunt. Facilius feruntur, qui nomen illud metonymice de Spiritu Sancti donis & operationibus exponunt. Sed aliam loco nostro vindicandam esse putamus notionem, quam ex Commate sexto repetimus. Ibi enim Apostolus se munerasque sui socios vocauerat διακόνους καίνης διαθήκης, non γέρουματος, quod mortem adferre, sed πνεύματος, cui vim reparandi vitam inesse, dixerat. Ex hoc Commate sexto si nostrum illu-

strandum sit, paucis dicendum erit, quem ibi habeant sensum voces sibi oppositae γέρμα & πνεῦμα. Priorem quidem optimi quique interpretes de lege scripta Iudeorum & cultu diuino ad illam informata explicit: de sensu autem nomini πνεῦμα tribuendo non vaa est eorundem sententia. Plurimi quidem doctrinam Euangelii, ali vero Spiritum Sanctum eiusque operationes & dona hoc nomine significari putant. 2) Quicquid sit, negari tamen vix poterit, idem esse illud πνεῦμα in Commate sexto, cum διανοίᾳ τῇ πνεύματος in Commate octauo opposita τῇ διανοίᾳ τῇ θεότητος, & cum διανοίᾳ τῆς δικαιοσύνης quae in Commate nono τῇ διανοίᾳ τῆς καταργήσεως opponitur. Quae cum ita sint, πνεῦμa illud γέρματi oppositum, si generatorem eius formemus notionem, erit complexus doctrinarum quae sunt aptae ad vitam quam dicunt spiritualem, in nobis producendam ac conseruandam. Haec notio si transferatur ad species διανοίας de quibus Apostolus dicit, πνεῦμa erit illud manus sacrum, quod circa hunc doctrinarum complexum versatur. Sed nobis iam sufficit generalior illa notio, ex qua sponte fluit, initium Commatis 17. sic esse explicandum: Salutaris autem Domini nostri Iesu Christi doctrina hanc habet vim, vt spiritus nostri vitam producere & sustentare possit. Haec paucis complexus est Apostolus unico illo nomine πνεῦμa. 3)

Breuiores esse possumus in explicanda posteriori huius Commatis parte, quae his absolutur verbis: ἐδὲ τὸ πνεῦμa Κυρίου, ἐπεὶ ἐλευθερία. Haec si ab iis quae praecedunt, sciuncta essent, vel aliam ad ea relationem haberent, non dubitaremus πνεῦμa Κυρίου de Spiritu Sancti persona & donis interpretari. Hoc autem in loco phrasis ista idem esse videtur cum illa Κύριος τὸ πνεῦμa, qua antea usus erat Apostolus. Et hoc quidem confirmat syllogistica dicendi ratio, qua Paulus hoc loco vtitur. Ex superioribus enim hoc colligit ratiocinium: Vbicunque autem fa-

lu-

2) Conf. Ven. D. ZACHARIAE paraphrastische Erklärung der beiden Briefe an die Corinther, p. 31. sq. Prooemii.

3) Germanice illud πνεῦμa hoc loco exprimi posset eine geistvolle Lehre. Talem Apostolus dicit esse doctrinam Euangeli, tum quia nobis viam monstrat ad vitam, sicut praeferat γέρματi seu doctrinae legis ceremonialis, quae dicitur hominem ἀποτελεῖν, quia innatura imperabat precepta, quae non poterant omnia obsernari, adeoque non nisi poenam & mortem adferebant, tum quia vires ad honum quodius peragendum, & ad vitam spiritualem nobis subministrat.

Iustitiae illa doctrina Euangelii obtinet, ex qua vnicet pender vita spiritus nostri, ibi quoque est libertas. Hoc quasi nouo vititur argumento ad commendandam doctrinam Euangelii. Obiici quidem posset, ambigue & subobscure loqui Apostolum, cum dicat τὸ πνεῦμα Κυρίου πνεῦμα: sed apertus erit sensus omnibus illis, qui prima huius Commatis verba recte intelligunt. 4)

Reliquum est, ut de libertate illa dicamus, quam Apostolus hoc loco celebrat. Qualis illa sit, rectissime ex Commate 15. & 16. intelligitur, si ea simul in consilium vocemus, quae Commate 18. sequuntur. Scilicet libertas illa opponitur velamini legis ceremonialis, omnibusque quae inde pendeant, malis. Hunc itaque esse putamus sensum: Quisquis excusio legis ceremonialis iugo animum suum adPLICAT ad saluberrima Euangelii praecepta, is demum vera fruitur mentis libertate, & non per umbras & figurae quasi oberrat animo suo, sed ipsae res & clarae notiones animo eius obuersantur, ita ut ἀνανεωλυμένῳ προσώπῳ, quae sunt verba Apostoli Commate 18, intueatur in gloriam Domini. Is quoque liber est a seruili timore, quem lex ceremonialis incutiebat omnibus, in cuius locum doctrina Euangelii substituit illud πνεῦμα νοθεῖται, & παρέγεται, quae ex sensu adoptionis nostrae oritur, & timorem omnem expellit, teste Paulo in Epistola ad Romanos c. VIII, 15. Haec sane maxima beneficia Apostolus iure vindicat doctrinam Euangelii. Illustrantur autem haec & confirmantur verbis Salvatoris nostri & perfectissimi magistri, quae Ioh. VIII, 31. 32. & 36. legimus: Si inhaeritis disciplinae meae, veri estis discipuli mei, & cognoscetis veritatem: haec autem in libertatem vos restituet. Sique Filius, h. e. doctrina eius, quam Euangelii nomine significamus, vos liberos reddiderit, vere liberi estis.

~~~~~  
Et hanc quidem libertatem, magnum Christianorum decus & praesidium, his in primis diebus sacris probe cogitatis Cives Optimi. Ad eam non adspirare licet, nisi illis qui salutari Euangelii doctrina sic  
vrun-

4) Τὸ πνεῦμα hōc loco idēm esse quod τὸ πνεῦμα a multis iam admoneri videmus. Conf. F E S S E L I I Adueraria Sacra, p. 202. & 222.

vtuntur, vt per eam adiuuante Spiritu Sancto in omnem veritatem deducantur. Duce Vobis opus est Spiritu Sancto, qui Christum in Vobis glorificet, & luce sua Vos collustret. Tunc demum liberi fietis a vinculis quae sunt omnibus imposita, qui per gratiam non sunt emendati & ad omne opus bonum apti redditi. Ad Deum itaque precibus Vestrīs confugite, eumque rogate, vt Spiritu suo Vos impleat, a quo qui reguntur, Dei sunt filii. Memores itaque Vos praefestis admonitionis paullinae quae exstat in Epistola ad Galatas c. V, i. Τῇ ἐλευθερίᾳ ἡ Χριστὸς ὑμᾶς ἠλευθέρωσε, τὸντες, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δεσμοῖς ἐνέχεσθε. Non ad Christianos e Iudeis tantum, sed ad omnes Christianos haec pertinent, qui Spiritus Sancti gratia a iugo illo liberari possunt & debent, quod grauius nobis incumbit, quam olim genti Iudeorum lex ceremonialis. Si instantes dies memoriae Spiritus Sancti in Apostolos effusi sacros rite celebretis, Deum precantes, vt in Vestros quoque animos Spiritus sui gratiam immitat, non carebitis magno illo beneficio, & apti eritis, doctrinam Iesu Christi, quam profitemini, eo vitae genere ornare, quod dignum est illis qui in luce Evangelii ambulant. P. P. in Acad. Frideric. d. XX. Maii, A. R. S.

M D C C L X X I I I . I .



Fe 4194

ULB Halle  
002 623 889

3




SB

Rehov







ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

P R O R E C T O R

IOANNES AVGVSTVS NOESSELT

SACRARVM LITERARVM DOCTOR

E A R V M Q V E P R O F E S S O R P V B L I C V S O R D I N A R I V S

C V M

D I R E C T O R E

E T

S E N A T V A C A D E M I C O

PENTECOSTES DIES SACROS

P I E C E L E B R A N D O S

I N D I C I T.

---

*Addita est interpretatio loci obscurioris in posteriori ad Corinthios  
Epistola, Cap. III, 17.*

---

H A L A E

E X O F F I C I N A H E N D E L I A N A

M D C C L X X I V .

